

caput facile se populo probabat, quod et aequissimum videretur, nec cuiquam magnopere grave esset. De priore, quo removebantur feminae ab omnium omnino civium hereditatibus, ambigebatur. Dubitationem exemit M. Cato, acerrimus iam olim in defendenda lege Oppia mulierum adversarius et castigator, qui et hanc quoque maioris momenti adversus illas legem, annos natus quinque et sexaginta, magna voce et bonis lateribus suasit, pro solita asperitate in muliebrem invectus impotentiam, intolerandosque in opulentia spiritus: quum hinc quoque argueret divitum matronarum fastum et arrogantiam, quod illae, magna saepe dote marito allata, magnam sibi pecuniam reciperent ac retinerent, eamque pecuniam ita postea viro roganti mutuum darent, ut, quoties iratae essent, statim per receptitium servum consecrantem et quotidie flagitantem solutionem, maritum, tanquam debitorem extraneum, importune cogerent. Hac indignatione commoti legem, uti rogabat Voconius, accipiendam censuerunt.

EPITOME LIBRI XLII.

Q. Fulvius Flaccus censor templum Iunonis Laciniae tegulis marmoreis spoliavit, ut aedem, quam dedicabat, tegeret. Tegulae ex senatusconsulto reportatae. Eumenes, Asiae rex, in senatu de Perseo, Macedoniae rege, questus est: cuius iniuriae in populum Romanum referuntur. Ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat, in Macedoniam transiit, levibusque expeditionibus, equestribus proeliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit. Inter Masinissam et Carthaginenses de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus. Legati missi ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta septem millia, ducenta triginta unum. Res praeterea adversus Corsos et Ligures prospere gestas continet.
